

1236  
~~2036~~ 213

MONSTRI ACEPHALI HUMANI  
EXPOSITIO ANATOMICA.

SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM  
QUOD  
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN  
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI  
AD SUMMOS  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE IMPETRANDOS  
DIE XXVIII. M. MARTIS A. MDCCCXXV.  
H. L. Q. S.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
AUCTOR  
JOANNES HENRICUS KALCK,  
SARAEPONTINUS.

OPPONENTIBUS  
C. HEUSNER, MED. ET CHIRURG. DR.  
E. GABLER, MED. CAND.  
J. LINDENTHAL, MED. STUD.

ACCEDUNT DUAE TABULAE AENEAE.

BEROLINI,  
LITTERIS AUGUSTI PETSCHII.

Dv 5304

1000  
1000

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK  
- Bot.-Herbar. Abt. -  
DUISBURG  
V6006



P A T R I

OPTIMO DILECTISSIMO

*JOANNI DIETERICO KALCK,*

MEDICO

HASCE QUAESCUNQUE PAGELLAS

QUA PAR EST

PIETATE AC REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.



---

## PROOEMIUM.

---

Quaecunque ad anatomiam pathologicam pertinent, uberimam sciscitandi materiem nobis offerre solent, siquidem naturae devia tam multifaria saepeque adeo sunt mirifica, ut mens, admiratione quasi attonita, quem in finem natura hoc illudve finxerit, aut quid luserit, capere nequeat. Praesertim monstra exactissima observatione atque scrutatione digna videntur, ut, quantum in nobis est, eruere studeamus, utrum conformatio eorum semper certo adstringatur typo, an omnia sine eo, i. e. arbitriis mutabilibusque naturae legibus fiant. Ad hunc consequendum scopum descriptio monstrorum certe eatenus confert, quatenus descripta inter se comparari, et ratiocinia quaedam generalia ex compa-

ratione deduci possunt. His reputatis, non dubitavi, expositionem anatomicam monstri humani, in Museo anatomico Berolinensi asservati, speciminis inauguralis argumentum desumere. Gratias autem habeo maximas Viro Ill. Rudolphi, Musei anatomici Directori, cujus insigni humanitati atque benevolentiae hanc scribendi materiam debeo. Vos. L. L. B. B. rogatos velim, ut hancce scriptiunculam, nisi assensu ornetis, excusatione saltem dignam habeatis.



---

**M**onstrum, cujus faciem anteriorem tabula prima depictam offert, acephalum, artubus superioribus destitutum, sexus sequioris novem mensium repraesentans, secundum classificationem a Cel. J. F. Meckel in anatomia pathologica exhibitam, sectioni tertiae capitis primi, quae evolutionem imperfectam partis superioris corporis continet, adnumerandum censeo.

Caput nempe, collum artusque superiores plane desunt, nec ullum harum partium vestigium solito loco animadvertitur.

Corpus a planta pedis ad superiorem usque finem trunci pollices undecim mensurae Rhenanae adaequat; pectus pollices tres, pelvis superior pollices duos cum dimidio in latitudinem patet.

In media pectoris parte, qua processum ensiformem residere oportebat, protuberantia lineas quatuor alta, a basis margine superiore ad inferiorem pollicem unum et lineas duas, a margine sinistro ad dextrum pollicem unum et dimidium lata, exstat. Vertex ambitum portendit ellipticum, cujus diameter longior lineas novem, brevior autem lineas sex adaequat. A fine superiore hujus faciei ellipticae ad marginem inferiorem fossa longitudinalis, vix lineam lata et profunda, verticem in duas partes aequales findit, ad cujus finem inferiorem posita est verrucula lineam unam



ampla; cujus in pedunculi facie sinistra et superiore atque dextra et inferiore stria horizontalis parva oculo obtruditur. Supra hanc verruculam foramen apparet rotundum, coecum, lineam vix excedens, infra eam rima cernitur transversa lineas tres longa, unam fere lata, cujus margo inferior eam exhibet formam, ac si labium oris sit inferius. Protuberantia tota primo obtuitu conamen naturae interceptum caput constituendi indicare videtur, cujus suspicioni multum probabilitatis eo adjicitur, quod totum per ambitum lanugo, quamquam rara, diffunditur, illi non dissimilis, quam in infantibus neonatis observamus. Subter hac protuberantia umbilicus in abdomine apparet, cujus funiculus, quoad e marginibus serratis judicare licet, avulsus esse videtur.

In regione pubis mons Veneris valde prominet, et innumeris gyris rugisque mirifice est ornatus. — In genitalium superficie memoratu dignum videtur, quod labium dextrum amplitudine valde superat labium sinistrum, eamque formam refert, ut primo obtuitu penis potius, quam genitalium muliebrium pars altera esse videatur. — Utriusque lateris femur ingenti tumore notatum est, qui inde a crista ossis iliûm superiore usque ad tertiam fere partem cruris extenditur, et ex quo crus tanquam e sacco prospicit. — Ceterum utriusque tumoris superficies multis rugis est praedita, et praeterea in sinistro macula una, dextro vero duae reperiuntur, quae colorem rubicundum, musculari similem, prae se gerunt. — Tumor lateris dextri pollices tres longus et totidem latus est, lateris sinistri longitudinem pollicum duorum et novem linearum, latitudinem pollicum trium adaequat. — Cutis cruris utriusque, perinde fere ac tumores, multis rugis maculisque ejusdem coloris est obsita, tegumenta mollia praeterea majorem exhibent ambitum quam in sanis.

Pedis dextri paulo tumidi planta, introrsum versa, tres tantum offert digitos, qui omnes cute modo et tela cellulosa constituuntur. In  
pede



pede sinistro, minus detorto, digitus tertius tantum desiderari videtur, cum quintus circa dimidium inferius in duas partes findatur, ita quidem, ut altera pars alteri insideat, non juxta seposita sit. Hujus quoque pedis digiti nullum continent ossis vestigium.

Ossa omnia, quae ad thoracem constituendum conferunt, desunt. In parte adversa pectoris nempe clavicula utriusque lateris et sternum, in parte aversa, scapula utraque et decem vertebrae dorsales superiores, in quovis latere costae omnes desiderantur. — Columnae vertebralis ita constitutae finis superior obtusus et occlusus valde antrorsum flectitur, tanquam capitulum, ut ita dicam, in pectore assecuturus. — Duae vertebrae dorsales quae exstant majoris sunt ambitus solito, et inter se coaluere; vertebrae lumbales vero, quoad numerum et figuram normam sequuntur, si ab eo discedas, quod processus transversi et obliqui minus sint evoluti, quam par est; more consueto quoque inter se sunt junctae.

Pelvis normae plane congruit, pariter ac ossa femorum; patellae quoque exstant. Tibia et fibula utriusque lateris adsunt, illa autem magis planam portendit formam quam rotundam et paulisper introrsum et antrorsum curvatur. Ossa tarsi omnia adsunt, sed de ossibus metatarsi dextri tertium et quartum, eademque in pede sinistro desiderantur. Os metatarsi quintum hujus pedis quidem multo majorem ambitum solito refert, et in pagina dorsali rima quoque apparet, ut molimen naturae ossa duo constituendi profiteri videatur. Ossa omnia digitorum, ut supra posuimus, desiderantur.

Reliquas nunc adjiciam corporis dimensiones: Longitudo inde a suprema trunci parte usque ad anum pollices septem, longitudo a supremo trunci fine, usque ad umbilicum pollices quatuor, ab umbilico ad infimum pelvis finem pollices tres, longitudo cujusque artus inferioris pollices quatuor, utriusque femoris pollicem unum et dimidium, cruris polli-



ces duos et dimidium, plantae pedis pollicem unum et lineas novem adaequat.

Totum thoracis cavum modo tegumentis mollibus circumcluditur, quum, ut supra diximus, omnia ossa ad thoracem constituendum pertinentia desint. Sub hac protuberantia tantum ossiculum majus et tria minora, synarthrosi ut videtur inter se conjuncta, oculis offeruntur, quae connubio suo pyramidis quadrilaterae valde obtusae figuram efficiunt, cujus basis in facie interna tegumentorum mollium pectoris apparet, apex autem antrorsum et extrorsum vertitur. Haec pyramis lineas tres alta, basis ejus lineas sex longa et quatuor est lata. — Qualem haec ossicula habeant usum, dirimere non valeo. — Musculi thoracis deficient. — In cavo pectoris et cor et pulmones et glandula thymus desiderantur. Hoc cavum non, ut solito more, per diaphragma a cavo abdominis sejungitur, cum hic musculus plane desit. Cavum pectoris hoc in exemplo pro continuatione tantum abdominis habendum est.

Tegumenta mollia, quibus abdomen cingitur, ejusdem sunt telae gelatinosae, subter qua autem complures musculi in conspectum prodeunt, ut musculi recti, transversi et obliqui externi abdominis; in facie posteriore musculus psoas major, quadratus lumborum et iliacus internus dignosci possunt. — Musculus rectus et transversus sinister per telam cellulosa solidam apici columnae vertebralis adhaerescunt. Juxta musculum psoadicum majorem lateris sinistri nervus cruralis, cutaneus femoris anterior et nervus accessorius nervi cruralis in conspectum prodeunt.

Tractus intestinorum incipit Ileo, octo lineas longo, lineam unam et dimidiam lato, cujus finis superior coecus est, inferior autem sub angulo recto in coecum, prope processum vermiformem duas lineas longum et unam fere lineam latum, inmittitur. — Coecum, pollicem unum longum atque lineas duas amplum, in colon transit eandem habens amplitudinem



atque pollicum quatuor longitudinem, cujus in fine inferiore curvatura sigmoïdea apparet, quae in rectum abit pollices tres longum et lineas tres latum, cujus pars superior, aequae ac ileum, coecum et colon, in fasciculum irregularem est contorta, mox autem in promontorii latere sinistro pone uterum in pelvim descendit atque ano finitur aperto.

Iecur, lien et pancreas desunt.

Organa chylopoëtica, quae exstant, peritoneo investiuntur.

Uterque ren ante columnam vertebralem in regione vertebrae primae, secundae et tertiae lumbalis residet, sed ita quidem, ut ren sinister paulo sit sublimior dextro. Fines superiores eorum margine concavo coaluere. — Ren dexter major, pollicem et lineam unam longus, lineas octo latus atque lineas quinque crassus est. Ren sinister pollicem unum in longitudinem, lineas tres in latitudinem et lineas quatuor in crassitudinem patet. Coalitio linearum quatuor longitudinem, trium crassitudinem adaequat. — Renes non sunt lobati, uti in foetu solent, sed superficies eorum illi adultorum similior est; glandulae suprarenales quoque desunt.

Ex utriusque renis hilo ureter oritur, rectaque juxta columnam vertebralem descendens, sub angulo acuto in corporis vesicae urinariae latus quisque inseritur. — Uterque pollices duos longus atque lineam dimidiam amplus est.

Vesica urinaria loco consueto pone symphysin ossium pubis et ante uterum locata, figurae est oblongae, ita ut pedetentim, fundo coarctato, coniforme transeat in urachum dimidio apertum, qui juxta vasa umbilicum recta petit. — Urethrae lumen lineae quadrantem vix adaequat.

Organa genitalia externa, praeter ea, quae jam supra posuimus, normae congruunt, perinde ac vagina. Uterus pone vesicam urinariam et ante intestinum rectum loco solito positus est. Facies anterior intime coaluit cum tunicis vesicae urinariae, utrumque latus peritonei duplica-



turis lineae arcuatae adnectitur. — Diameter longitudinalis lineas novem, transversus in fine superiore lineas duas, in medio corpore lineas tres, in collo lineam et dimidiam, crassities lineam unam adaequat. Ex his patet, utrum non formam exhibere triangularem, sed in medio corpore latissimum, circa utrumque finem autem esse arctiorem. Praeter haec finis ejus superior fundi loco cornua duo refert, quorum quodque in tubam Fallopii sui lateris continuatur. — Utraque tuba Fallopii pollicem unum et lineas duas longa, in fine inferiore angustiore lineam unam lata, in fine superiore, ampliore, fimbriis solitis munito, duas lineas lata est. — Ovaria utriusque tubae dimidio superiori insident, quorum cuique corpusculum ovarii structuram aemulans adnexum est.

Vasa umbilicalia duabus constituuntur venis umbilicalibus totidemque arteriis, quarum binae alterum corporis latus petunt. Vena umbilicalis dextra ab umbilico ad vertebam lumbalem quintam recta descendit, ibique in venam cavam inferiorem infunditur, vel ramum potius, ut verius dicam, hoc loco emittere videtur, qui venae cavae cursum imitatur. Vena cava a vertebra lumbali quinta ante columnam vertebralem recta ascendit, et in regione vertebrae lumbalis tertiae ramum magnum emittit, qui de novo plures edit surculos tegumentis mollibus vicinis, tum in facie renis dextri aversa juxta columnae vertebralis dextram usque ad ejus ascendit ibique disparet. Truncus venae cavae ipse, postquam hunc ramum emisit, ante renem dextrum ascendit, illique circa hilum renalem duos tribuit ramos renales. Paulo altius alium emittit ramum, qui sinistram apicis columnae vertebralis petit ibique evanescit. Truncus venae cavae, postquam ad finem superiorem utriusque renis conglutinati pervenit, ramum emittit intestinale, et inde recta ascendens, postquam ramulum basin protuberantiae pectoralis petentem emisit, in plures surculos secedit, qui in tela gelatinosa disparent.



Vena umbilicalis, postquam venam cavam inferiorem emisit, a vertebra lumbali quinta versus symphysin sacro-iliacam lateris dextri descendit, atque ita decurrens venam exhibet iliacam dextram. In lineae arcuatae regione tres emittit ramos, quorum primus cursum plane insolitum absolvit. A symphysis sacro-iliaca dextra nempe, oblique sursum et sinistrorsum versus, promontorium pergens, sinistrum petit latus vertebrae lumbalis quintae; unde, ramulo ad musculus iliacum internum misso, recta ascendens supra ureterem renem adit sinistrum, postquam paulo ante ramulum edidit, qui ad columnae vertebralis sinistram, pone hunc renem recta ascendens per telam gelatinosam disseminatur. — Secundus ramus, quem vena edit iliaca, est hypogastrica, de cujus ramis venam ileolumbalem, haemorrhoidalem et glutaeam superiorem tantum persequi potui. Tertius ramus, qui ex vena iliaca orditur, est vena cruralis, quae, recta antrorsum pergens, ramum ossis pubis transversum petit, eumque transgressa, ramum emittit amplum, ex quo duo rami musculares nec non vena saphena magna ortum ducunt, quo facto truncus venae cruralis solita lege decurrit.

Vena umbilicalis sinistra ab umbilico versus lineam arcuatam lateris sinistri descendit ibique venam edit hypogastricam normae convenienter decurrentem, dein recta antrorsum versa, ex cavo abdominis progreditur, quo facto ramo musculari atque vena saphena magna emissis, cursum absolvit venae crurali consentaneum.

Venarum structura normalis est, ea tantum differentia, ut nusquam vestigium deprehendatur valvularum, quae in foetibus ejusdem aetatis tamen jam luculenter in conspectum prodire consuerunt.

Venam enim cavam pluribus locis nec non utramque venam cruralem in parte femoris superiore et venam saphenam magnam in media femoris parte dissecui, sed ubique valvulae desiderabantur, et hanc observatio-



nem me non fecellisse Illustr. Rudolphi atque Exper. Dr. Schlemm, Musei anatomici prosector, sibi persuaserunt.

Arteria umbilicalis dextra ab umbilico deorsum atque dextrorsum versa ad lineam descendit arcuatam, ibique tres emittit ramos cardinales:

1) Aortam abdominalem, quae, introrsum et sursum versa, supra promontorium ad vertebrae lumbalem quintam ascendit, ibique arteriam sacram mediam solita lege decurrentem, tum arteriam haemorrhoidalem internam insueto more ex trunco aortae ipso ortam, denique duas arterias lumbales foramina intervertebralia sinistra vertebrae lumbalis quintae et quartae petentes, emittit. Truncus aortae altius egressus ramum edit renalem, minorem, qui fini inferiori renis sinistri impertitur, et majorem in tres ramulos denuo discedentem, quorum unus renem sinistram, reliqui duo renem dextrum per hilum renalem intrant. Hisce ramulis sparsis, aorta pone utrumque renem et ante columnam vertebralem recta sursum tendens supra vertebrae lumbalem secundam in duas diducitur partes, quarum quaeque sursum et extrorsum pergens in vertebrae dorsalis duodecimae regione in plures secedit ramulos, qui in substantia gelatinosa et musculis hic sitis disparent.

2) Arteriam hypogastricam exilem, quae recta in pelvim descendens solam constituit arteriam ischiadicam, cum glutea superior, quae exstat, non ex hypogastrica, sed ex arteria umbilicali ipsa ortum ducat.

3) Arteriam cruralem, quae, ex cavo abdominis egressa, solito loco arteriam femoris profundam simulque ramulum muscularem emittit et tum ad normam decurrit.

Arteria umbilicalis sinistra juxta venam umbilicalem sui lateris usque ad lineam arcuatam descendens, hoc loco arteriam hypogastricam, solito more diffusam, emittit, tum recta antrorsum versa e cavo abdominis pro-



greditur, arteriaque femoris profunda cum duobus ramulis muscularibus editis, solitum exhibet decursum.

His expositis haud absimile videtur, venas hoc in casu arteriarum, arterias autem venarum vices exhibuisse. Huic opinioni quidem objici potest, per arterias umbilicales forte sanguinem corpori adductum per venas umbilicales vero egestum esse, quod offendiculum eo tamen magna parte mihi elevari videtur, quod venis valvulae hac aetate jam efformatae plane desunt, deinde quod venae in foetu prius exstant quam arteriae, praetereaque nullum argumentum in promptu est, quo haec functio vasorum umbilicalium insueta vindicari possit.

---

## TABULAE UTRIVSQUE EXPLICATIO.

---

### Tabula prima.

Monstrum ante sectionem a parte anteriore dimidio minus delineatum, quam in natura exstat.

### Tabula secunda.

Thorax et abdomen a latere sinistro, artus inferiores usque ad genua a latere anteriore aperta et distenta. Tegumenta mollia thoracis et abdominis anteriora ad latus dextrum seposita. Tractus intestinorum ita collocatus, ut vasa, quibus convolutus incubit, luculentius in conspectum prodeant. Vasa umbilicalia cum uracho paululum ad dextram seposita.

- a. Ossicula in basi protuberantiae pectoralis.
- b. Finis superior columnae vertebralis defectae.
- c. c. Musculus rectus abdominis lateris sinistri sepositus,

- d. d. d. Musculus transversus abdominis lateris sinistri sepositus.
- e. Ileum.
- f. Processus vermiformis.
- g. Coecum.
- h. h. h. Colon.
- i. i. S romanum.
- k. k. Rectum.
- l. Ren dexter.
- m. Ren sinister.
- n. Coalitio utriusque renis.
- o. Ureter dexter.
- p. Ureter sinister.
- q. Vesica urinaria.
- r. r. Urachus.
- s. Uterus.
- t. t. Tubae Fallopii.
- u. u. Ovaria.
- v. Nervus cruralis.
- w. Nervus accessorius nervi cruralis.
- x. Nervus cutaneus femoris anterior.
- 1. 1. Vena umbilicalis lateris dextri.







2. Vena cava inferior.
3. Ramus, qui in regione extremitatis inferioris renis dextri ex vena cava orditur, et, quatuor ramulis muscularibus editis, in latere dextro columnae vertebralis pone renem ascendit.
4. Rami renales.
5. Ramus, qui juxta apicem columnae vertebralis telam gelatinosam intrat.
6. Ramus intestinalis.
7. Ramus, qui in basi protuberantiae pectoralis in surculos secedit.
8. Ceteri rami telam gelatinosam intrantes.
9. Ramus renalis, qui, ex iliaca dextra ortus, ad renem sinistram oblique ascendit.
10. Ramulus ejus, ad muscolum iliacum internum lateris sinistri tendens.
11. Ramulus alter ex eodem prope hilum renalem ortus, qui pone renem dextrum ad columnae finem superiorem ascendit, ibique in plures surculos divisus, evanescit.
12. Vena cruralis dextra, hoc loco dissecta et distenta.
13. Rami musculares venae cruralis.
14. Vena saphena magna hoc loco dissecta et distenta.
15. Vena umbilicalis sinistra.
16. Vena cruralis sinistra.
17. Vena saphena magna.
18. Arteria umbilicalis dextra.
19. Arteria aorta abdominalis.
20. Arteria sacra media.
21. Arteria haemorrhoidales interna.
22. Duae arteriae lumbales.
23. Arteriae renales sinistrae.
24. Arteriae renales dextrae.
25. Truncus aortae pone utrumque renem ascendens.
26. Arteria glataea.
27. Arteria cruralis dextra.
28. Arteria femoris profunda.
29. Arteria umbilicalis sinistra.
30. Arteria cruralis sinistra.
31. Arteria femoris profunda.
32. Rami musculares ex arteria crurali sinistra orientes.

CUR-